

col qual sig<sup>r</sup> Duca V. S. può liberamente discorrere, che il desiderio di N<sup>ro</sup> Sig<sup>re</sup> e mio sarebbe che la detta unione si conservasse come quella che ha rimesso in piedi la religione cattolica in Germania e che tende direttamente a mantenerla e stabilirla; la dove par che gl'altri eserciti mirino più al politico che ad altro, e massime hora che i moti del Re di Suecia ed i sospetti d'altri nemici della religione danno più che mai occasione di conservar la detta Lega, la quale ha difeso i cattolici senza aggravarli o disgustarli...».

Copia, Barb. 7063 n. 13, Biblioteca Vaticana.

## 20. Papa Urbano VIII al Tilly.<sup>1</sup>

Roma, 18 giugno 1631.

«Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Impia illa virgo, quae coelesti sponso nubere noluit, cum facta esset adultera satanae, Magdeburgensis civitas, experta tandem esset ultoris numinis furorem coruscantem in dextera Nobilitatis tuae. Contorqueri voluit Omnipotens per manus catholicorum exercituum fulmina coelestis indignationis, quae incolas et tecta civitatis Ecclesiam aspernantis devorarunt sicut stipulam. Tu vero post tot stipendia et trophaea, triumphalis senex, tanta auctus victoria, potuisti lavare victrices manus in sanguine peccatorum [Ps 57 (58), 11]. O decus dignum, cui coelites plaudunt, quod reges cupiant! mutata est per te rerum facies in septentrione. Ubi enim haeretici, furentes audacia, minitabantur incendia templi, catenas principibus, contumeliam sanctis, nunc in Magdeburgensi clade consternati coguntur formidare impiae potentiae finem. Vive ac triumphare feliciter, nobilis vir, tu laus Israel, tu honorificentia populi nostri, qui convertere Nobis potuisti sollicitudinem in gratulationem et metuentem religionem galea salutis et framea ultionis armasti. Nulla plane natio in hoc Urbis teatro de tuis laudibus conticescet. Diceris enim munivisse semper sanctimonia fortitudinem, nec minus feliciter cupiditates in corpore quam hostes in variis provinciis edomuisse. Iam vero tantarum laudum commemoratione augetur publica spes, quae freta Deo in catholicis castris excubanti, et principibus pii belli auspiciis, videtur non temere in Germania diadema perfecti decoris catholicae religioni a tua virtute polliceri. Eia age, nobilis vir, sequere Deum, qui te hac victoria vocat ad integrum devictae impietatis triumphum. Omnino vero enitere, ne quid in consulentium deliberationibus decernatur, quod dimicantium militum odia irriter et haberi possit victrici religioni inutile aut indecorum. Benedicimus tibi, dilecte fili, intimo paterni cordis affectu atque oramus Deum, cui omnia vivunt, ut in senio Nobilitatis tuae velit ad publicae spei felicitatem inutile robur revi-

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 433. Vedi anche KLOPP, *Tilly* II (1861) 479.